36

AGNI OCCISI FORTITVDO

ORATIO


IO. PAVLI FARNESII E SOC. IESV

Habita

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII.

In Sacel Pontif. Vatic. ipso Parasc. die.



ROMÆ, Apud Vitalem Mascardum, MDCXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Emin.mo Principi FRANCISCO CARD. BARBERINO S. R. E. VICECANCELLARIO

Io. Paulus Farnesius è Soc. Iesv F.



RISTIS ac molesta res est Fortitudo; *Flos eius perpessio malorum; Fæx eius Atrocitas Bellica, ferro ad faciendum aptiori, quam ad patiendum armata: Interno prælio cum Intimo hoste, Animo non Corpore, Humanitate non Feritate pugnandum.* 3. Eth.9.

Hæc seuerioris dogmata disciplinæ, cum in vmbra Lycei Ethicis Problematibus, pro munere meo, Auditoribus explicarem, perbelle cecidit ex insperato, vt quæ delineamenta Virtutis,

 in pe-

in perituris chartis Philosophico calamo tradideram adumbrata, eadem in æternæ Veritatis paginis, Dei pœnis exarata felicius, liceret in Sacro Romanæ Purpuræ lumine collocare. Patientissimus AGNVS humanæ salutis telam à rerum asperitatibus orsus, ærumnis nauiter totam subinde pertexuit, non nisi vt in ea Diuinus Apelles, admoto veluti tabulæ digito Dei, sanguinis sui coloribus absolutæ Fortitudinis pingeret simulacrum. Hoc, quod Heroicis moribus exprimis, offero tibi Eminentiss. Princeps. Tuo candori debetur AGNVS occisus, cuius in sanguine dealbaris. Tui Pectoris est, qui demissione Christiana Fastum in sublimitate castigas, *Auctoritate qua promines, prostratum AGNVM erigere, ne pessum detur. Eius in Cruce reconditam Fortitudinem, qua super omnia gloriaris, dò tuo Nomini defendendam.*

De Fortitudine, Audacia hæc ne mea? Tolerantiæ profecto tuæ monumentum, nostris extabit in Cordibus immortale; quod eandem cum AGNO rudioris asperitatem styli, patientibus non solum auribus, sed etiam oculis, hoc est toto ore, qua soles humanitate, pertuleris. Vale.

ORATIO.



VGVSTAS AGNI cadentis inter cruciamenta victorias, B. P. atrocissima hæc dies, tormentorum immanitate præliaris, quæ multo Dei sanguine salutem mortalibus peperit, tot encomijs prædicat, quot singultibus. Inermem exercituum Deum fortisśima militiæ decora preferentem venerabundi suspicimus; nudatum, sed spolijs inimicorum onustum; vegetum tunc experimur maximè, cùm videtur eneruis, cum extinctus, tunc maximè Animosum. Tanti nouitatem certaminis, attonita cum primis Natura corporibus admiratur; Sol sacra nocte pullatus hæret; Tellus iners diuino madefacta Sãguine natiuam exosa quietem suis dimouetur sedibus, defunctorum animãtur cadauera, dum animam exhalat Vita, vt mortem interimat; Tẽpli cortina scinditur, vt *fortitudo abscondita* reueletur. Tota igitur stupente natura, Abac.3.

 nos

nos etiam,quorum causâ certatur,prodigioſo Spectaculo, admirantis obſequium animi dedicemus.

Primùm in loco paſcuæ,hoc eſt in horto incipit AGNVS pauere; vt videlicet proprio in campo aduerſus Timorem mortis, iuratum Fortitudinis hoſtem,ſuę Magnanimitatis ſpecimen præbeat. Militari timet arte, non impulſu naturæ. Nouit, nullum eſſe Tyrannum, excruciandis mortalium cordibus, Timore crudeliorem. Infenſiſsimum hunc tranquillitatis Prędonē,in Arce Pectoris ſpectatore Deo, ad ſingulare certamen, per fortitudinem ſummam prouoçare voluit vt vinceret.Quo in agone,ad ſudorem vſq; ſanguineum defatigatus,cruento totius corporis rore, tanquam cœleſti balſamo diuinus Athleta perfuſus, conſtantiæ neruos magis confirmat ad pugnam.

Diuerſum hinc ſubit campum cum impij Alumni fraudibus decertaturus. Ori innocentiſsimo bilinguis Sycophanta libat oſcula vipereo felle imbuta; & atram noctem eligit in hoc perfidiæ bellum ipſis vel tenebris formidandum. Tenetur ſatellitio improbitatis mitiſsimus AGNVS, atque à

Cha-

Chariſſimorum complexu diuulſus, inter fracti Apoſtolici exercitus ruinas, infracto ſtat animo ſolus, qui proſternendis aduerſariorum turmis auxiliari manu non indiget. quin imò Petri Audaciam in Malchũ acriter increpat, cuius in vulnere læſa Chriſti Patientia iraſcitur, ac potentiori dimicationis genere Gladio inpoſterùm maledicit. Probroſum eſt militi, tutiſſima *lucis arma* tractanti, rubiginoſo ferro ſe credere. Militaris inſtrumenta ſæuitiæ, mitia pietatis Caſtra non amant; & ſanæ mentis vigorem eneruant inſana tormenta bellorum. Seruilibus interim implicitus vinculis raptatur per fora captiuus: ab Implacabilibus Furijs vrgetur, ac premitur; immotus tamen ſemper nec gradu deijcitur, ſed conſtitutum forti animo locum conſtantiſſimè tenet.

Fortitud. materia.

Rom. 13.

Militaris, Fortitud. fucata.

Honeſtas Fortitud. propria.

Annæ ſiſtitur, ibique à petulanti ſatellite ore contuſus, non ſe vlciſcendum Cælitum legionibus permiſit, qui ex militaris diſciplinæ dogmate docuerat, faciem fortiter exhibere repercutiendam: neque ſalutem locauit in pedibus, qui ſpontè venerat *oſtendere faciem ſuam, vt ſalui eſſemus*. Inde pertrahitur ad Caipham. At, ò inuictiſſimam

Matt. 5.

Pſ. 79.

AGNI languentis fortitudinem, ipſis etiam ſuffragantibus aduerſariorum calculis comprobatam! *Expedit*, *vt* qui *vnus* naturà eſt nempe Deus, *homo* factus *pro populo moriatur*, omnes *ne pereant*. O à malo Iudice dictum bene,

Nulla eſt victoria maior,
Quam quæ confeſſos animo quoque ſubiugat hoſtes.

O Effatum inter arcanas Pontificum Vaticinationes characteribus adamantinis immortalitate donandum. Eminentiſſimus namque eſt, planeq; Diuinus Heroicę Fortitudinis actus, *pulchram per vulnera mortem* pro incolumitate populorum oppetere. Quod ſi inde dicitur *homo homini Deus*, quid dicetur homini ipſe Deus? vt propterea Iſraelitici Ductor exercitus ſupra hoſtilia Ægyptiorum cadauera Arabicis oppreſſa fluctibus præconiũ Victori Deo decantauerit, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Qui modo vinculis impeditus, compedibus, ac manicis obligabatur, nunc in Prætoris atrio, ſuis veſtibus etiam ſoluitur: hac nuditate ſtat cataphractus in acie AGNVS cum Aëreis tenebrarũ Poteſtatibus luctaturus.

turus. Si enim paulo ante Sacerdos, ſua veſtimenta ſcindendo, expectoratus Chriſtum prouocauit ad pugnam, puduiſſet Fortem Deum cum ignauiſſimo capite non niſi nudis artubus decertare. Sed aliud pugnæ genus nos aduocat horribilius. Ad paſcendam teterrima laniena ferinam Hebræorum voluptatem, à fædiſſimis lorarijs diuerberatur ad necem. Ille ad cuius caſtigationem inſana ſe coërcebant maria, & procellarum ſidebant turbines, nunc verberum grandine pulſatur, exulcerato corpore totus horreſcit, totus ſanguine diffluit: plagæ ingeruntur plagis, nec iam cæduntur membra, ſed vulnera. hæc tamen vulnera AGNO patienti dant animos: crebris ictibus atria perſonant, nec minima tamen ipſius vox, inter acerbiſſimos cruciatus, inter execrabiles corporis lacerationes auditur. In tam cruento conflictu ad conſtantiſſimi Silentij arma ſe confert. Iure tacet, qui defenſione non indiget. O fortiſsimum languentis Chriſti Silentium, longè efficacius quocunque ſono tubaq; verborum. Tu ad ſolium vſq; peruenis Diuinitatis; Parenti ſummo cor penetras; vim infers Omnipo-

tenti,

tenti; iram discutis; extorquesPacem, nostræq; mortis Decretum immutas.

Attrita purpura Regi gloriæ nuda humerorum protegunt, & ludicri muricis opprobrio tectum delirantes per insaniam exsibilant pannosum Deum. Nazareni cæsariem asperant aduncis vepribus; verendam supercilij maiestatem rubo frequenti obnubilant, frontemq; sidereis dignam Thiaris serto hispido premunt. Vt in hoc etiam terrarum orbe regnet, vel ipsis Galeata inimicorum manibus Dei Sapientia. Nimirum Corona spinea infixa capiti Christi, Ecclesiæ fixum ac firmum nec vnquam casurum portendebat Imperium. Verùm adhuc sæuit proteruum vulgus, & ingeminatis clamoribus in Christi necem coniurat. Ita ne? parum hucusque flagris; parum sentibus Diuini sanguinis fusum est? cur Scelestissimi cruentas manus exangui AGNO rursus inijcitis? cur immane pondus languido imponitis?cur per supina Golgothę trahitis prostratum Deum? Mox patenti Colle dabitur certamen extremum. Iam tuba nuncia aures perstringit. iam æris fulgor coruscat: en AGNVS verè Ma-

gnus

gnus, qui pergit Aris Victor, & Victima, Hostia triumphans ex hostibus: en ille qui pernicibus ventorum pennis, & Angelicis *Ps.103.* Cherubin alis insidens per immensa æternitatis spatia gloriosissimè vehebatur, stat *Ps.17.* pronus sub Arbore bifurca Summi Parentis Natus. Trabale pondus Author naturæ sustinet, sub quo ingemiscens tota mox conuulsa cardinibus Vniuersi machina vacillabit. Baiulus Crucem extollit Fortis, in qua iam iam fortior extollatur; vt futurus lectus languoris, argumentum sit roboris, & magnitudinem virium ponderis afferat magnitudo. Fortis ita triumphat Deus; per calcata Mortis tela, per confracta inferni Draconis capita, per impressa vestigijs suis tumentia vitiorum colla, Immortalitatis Capitolium victor ascendit. Ibi pendens ex arbore manus & pedes ferro traiectus, hasta discissus latus, totus lacer vulneribus, Quadrigam glorię sibi sternit quadrifido in Patibulo grassatorum. Tartari limina perrumpit, concutit fores æneas, vectes confringit, Vmbrarum Regna, Arces, Aulam, Secures, Fasces constantissimè perdit; deuotos ignibus spiritus post terga vincit, atq; ope-

Super excelsa deducet me victor.

Maledixisti sceptris eius.

Tentoria Aethiopiæ turbabuntur, & pelles. Abac. 3.

operosissima totius mundi instauratione peracta, in Adami Nepotes, æternæ mortis iura, sua præpotenti morte rescindit. Ita à Victima Hostis confoditur, ac letho datur.

Stabunt, quamdiu Deus erit, AGNI occisi Trophæa in amplissima Crucis ara, Regijs insculpta notis, Diuino cruore gemmata, immortalis gloriæ illuminata syderibus, quibus vt luceat, faces succendet Æternitas: Imposito Moli carmine,

Dignus est AGNVS qui OCCISVS est,
accipere FORTITVDINEM,
Honorem, Gloriam, Diuinitatem.

LAVS DEO.